Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 311
Quelle:
Copyright:

tantum, an vero autor etiam horum Commentariorum fuerit, pronuntiare non possum.

CCXIII.

U. 154 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 454. f. per duas columnas, non eadem manu, maximam tamen partem probe scriptus, minioque distinctus in *fol.* praevio haec verba habet: *Ex testamento magistri Nicolai de Kreytznach arcium theologie et Decretorum professoris.* Gessit vero Vir iste inter annos 1468—81. ter supremum Academiae Magistratum, annoque 1491. defunctus est, unde sequentis *Lecturae in Pauli Epistolas* Secundam *ad Corinth. ad Galat. ad Ephes. ad Coloss.* duas *ad Thessal. ad Titum* et *Philemonem* autor esse non potest. Dicitur enim mox in ingressu primae Lectionis: *Harum epistolarum duas exposuit in hijs scolis Venerabilis sacre theologie professor Magister petrus de pulka felicis recordationis epistolam scilicet ad romanos et primam ad Corinth. Quare incipiendo ubi ipse dimisit, cogitaui secundam epistolam ad Corinth. aggredi.* &c. Si *Codicem Univ. 45.* in consilium adhibeas, loquitur hic *Nicolaus de Dinkelspühl*, *Petri* successor, qui lecturam usque ad *Epistolam ad Ephes.* perduxit, cathedramque dein cessit *Petro Reicher de Pirchenwart* pollicito, se et hanc, et sequentes deinceps Epistolas expositurum. En igitur duorum Virorum labores, qui *Nicolaum Crucenacensem*, de quo videri potest *Tritbemius* in *Catal. illustr. Viror. Germ. fol.* 55. aetate multum praecessere. Lecturam in *Secundam ad Cor.* orditur Conspectus *Quaestionum* in ea tractatarum; ejus vero initium est: *Apostolus paulus 14 scripsit epistolas* &c. *Quaestiones* ad Lecturae calcem expediuntur. Idem ordo *ad Galat.* Sed deinceps nulli conspectus, nullae post singulas Epistolas *Quaestiones*, *fol.* tamen 392. ad calcem Epistolae *ad Philem.* omnes congestae. Unde vel e diverso hoc tractationis modo diversi Autores, prior *Nic. de Dinkelspühl*, alter *Petr. de Pirchenwart* agnoscuntur.

Codicem postice vestit Membrana integerrima data: *Wienne patauien. dioc. Anno domini 1461. Indict. 9. die vero 13. Aug. Pontificat. Pij Secundi Anno Tercio*, qua *Bessarion Ep. Tusculanus Cardinalis Nicenus vulgariter muncupatus in partibus Alamanie et Germanie locisque omnibus in eisdem Sacro Romano imperio subiectis Apostolice Sedis de latere legatus Heinricum Triburgker clericum Maguntinen. dioc. et perpetuum beneficiatum ad altare S. Martini in ecclesia S. Stephani alias omnium sanctorum Opidi Wienn. Patauien. dioc.* ab irregularitate, *iniuncta* tamen *primitus penitencia salutari* absolvit. Percusserat alienigena hic, ut ad nos confluere solent, *causa recreacionis et solacij vna cum alijs clientibus et socijs serotino tempore in opido Noueci-*